

te ligatur, in dæmone est potentia ejus operativa, qua ligata, & impedita impeditur, & ligatur ipsa dæmonis substantia in ordine ad locum; quia, ut jam sæpe dictum est, non est in loco nisi per operationem.

Dicas: ut ligentur potentia dæmonum, & impediantur eorum operationes, sufficit, quod Deus suspendat concursum suum; ergo. R. suspensionem divini concursus sufficere quidem ad negationem, & cessationem actionis, sed sine dolore, & afflictione, quia dolor, & afflictio nascuntur ex contrario repugnante, & vim faciente: non esset autem repugnancia, neque violentia ex sola suspensione concursus, Deo enim suspendente suum concursum, natura non resistit, sed succumbit: sic, v. gr. si manus mea non moveretur, aut non moveretur ex sola suspensione concursus divini, nullum dolorem sentiret; si autem ex qualitate contrarium temperamentum disturbante, cruciabitur. Vide, si lubet fusiis de hac quæst. Joann. a S. Thom. hic disp. 24. art. 3.

Petēs 2. Utrum dæmones, præter hanc alligationem, nullum aliud acerbius supplicium patiantur ab igne? R. Non paucos existimare, præter hanc alligationem, dæmones, & animas separatas pati ab igne inferni dolorem similem illi, quem anima corpori percipit, dum corpus, quod informat, comburitur; sique putant verificari illud Aug. 21. de civit. c. 10. scilicet dæmones torqueri ab igne miris, & ineffabilibus, veris tamen, modis: adducuntque aliquos textus Scripturæ, & Patrum, qui dicunt Angelos, & animas damnatas igne urī, & cremari. Itā Soto, cui consentiunt plures etiam Thomistæ.

Alii verò Thomistæ, & communis sunt in sola alligatione: & ad id, quod profertur in contrarium, respondent, ideo

animam pati, dum comburitur corpus, quod informat. 1. quia ille ignis est destructivus compositi, cujus anima est pars. 2. Quia stante unione animæ ad corpus, voluntas est appetitus totius suppositi, unde habet per objecto bonum, vel malum totius, sive spectet animam, sive corpus, & de utroque percipit dolorem, vel gaudium. Hæc autem rationes non currunt in dæmonibus, vel animabus separatis.

Ad dictum Aug. dicunt, illud verificari in sua sententia; quia, licet innotescat nobis in genere dæmones torqueri ab igne per alligationem, in singulari tamen, & quoad varias circumstantias nobis ineffabile est, & occultum. Ad Scripturam, & SS. Patres respondent 1. eorum locutiones non posse sumi proprie, sed metaphoricè tantum, quia combustio, cum sit passio corporea, non potest esse in spiritibus. 2. Ignis dicitur urere dæmones, non quod illos verè comburat, sed quia torquet illos per ipsam combustionem, non ipsos urendo, sed modificando per illam, tanquam per actionem propriam, actionem principalis agentis nempe Dei, modo supradicto dæmones cruciantis: sicut aqua dicitur lavare animam, non quod ipsam lavet, sed quia per hanc actionem propriam, & ablutivam corporis modificat actionem Dei mundantis animam per gratiam.

Cæterum, quominus Deus per ignem tanquam per instrumentum suæ virtutis possit torquere dæmones, & animas separatas, sicut torquetur, & cruciatur anima, dum corpus, quod informat, comburitur, nullam video impedimentum. An verò ita sit, incertum est, & ut verum fateamur, S. Thom. tum hic, tum in suppl. cit. ubi hanc materiam tractat, istius modi non meminit, sed solius alligationis.

DISSERTATIO VII.

DE LOCUTIONE, ET ILLUMINATIONE ANGELORUM.

D. Th. QQ. 106. & 107.

S. Thomas post 40. & amplius quæstiones tractat de illuminatione, locutione, hierarchia, missione, custodia Angelorum, & impugnatione dæmonum; quia hæc pertinent ad gubernationem creaturæ, sive spiritualis sive corporeæ, quam Deus per Angelos administrat: & cum q. 56. & sequentibus agit de processione creaturarum a Deo, QQ. verò 103. 104. 105. de gubernatione mundi, prioribus quæstionibus locus proprius erat Q. 106. & sequentibus. Nos autem hæc illas transferimus, ut totam materiam de Angelis sub uno continuato aspectu Lector habeat.

ARTICULUS I.

De locutione Angelorum.

Certum est, Angelos (Hic q. 107. art. 1. o.) inter se loqui. Patet 1. ex Scriptura. Isai. 6. dicitur: *Seraphim clamabant alter ad alterum. Daniel 8. At, Gabriel fac intelligere istam visionem.* In Ep. Canon. Judæ: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercasset de Moyse corpore... dixit imperet tibi Dominus.* Et Apost. 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, et Angelorum.* Constat etiam ratione; quia Angeli componunt societatem, seu republicam, quæ intellectualitèr gubernatur; sine autem locutione nec societas, nec gubernatio subsistere potest. Et hæc ratio militat etiam pro animabus separatis. At, quomodo loquantur Angeli, non levis est difficultas, circa quam varie opinantur Theologi, quorum opiniones, asserendo, & probando nostram, referemus, & impugnabimus. Unde

Dico: (Ib. et q. 9. de verit. art. 4. in 2. d. 11. q. 1. art. 3.) Unus Angelus alteri loquitur per ordinationem, seu directionem suorum conceptuum ad alterum. Hanc conclusionem tripliciter probabimus 1. a priori. 2. ostendendo in eo dicendi modo contineri omnes conditiones requisitas ad locutionem. 3. impugnando alios dicendi modos.

Prob. 1. a priori. (Ibid. cit.) Loqui alteri nihil est aliud, quam conceptum mentis alteri manifestare; atqui unus Angelus manifestat alteri mentis suæ conceptum; per hoc quod illum ut manifestandum ordinat, & dirigit ad alterum: ergo. Minor, in quo est difficultas, prob. dupliciter. 1. Per id manifestatur conceptus Angelicus, per quod removetur obstaculum, quo occultabatur, & impediatur ejus manifestatio; atqui, posita dicta ordinatione, & directione, amovetur hujusmodi obstaculum: ergo. Prob. Min. In nobis interior mentis conceptus quasi duplici obstaculo clauditur: 1. quidem ipsa voluntate, quæ conceptum mentis potest retinere interiori, vel ad extra ordinare. 2. Per grossitatem corporis; unde sit, quod, cum voluntas ordinat conceptum alteri ma-

nifestandum, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet signum sensibile adhibere; atqui hoc secundum obstaculum non currit in Angelo, & primum cessat per voluntariam directionem conceptus manifestandi alteri: ergo.

Prob. 2. prima Minor. (I. cit. de verit. ad 11. & in 2. cit. ad 4. & 11.) Angelus per species innatas absque alia impressione, aut actione objecti in ipsum natus est intelligere quicquid ad se pertinet, & intra spheram cognoscibilitatis ejus naturalis ponitur; alioquin non esset ex natura sua perfectus in esse cognoscibili; atqui per hoc, quod unus Angelus ordinat conceptum suum ad alterum, volens illi manifestare, & communicare, facit, quod iste conceptus sit de pertinentibus ad illum alterum, quia sic vult illi communicari, & ad ipsum pertinere, & consequenter, quod sit intra spheram cognoscibilitatis ejus naturalis: ergo hæc directio posita manifestatur illi conceptus loquentis.

Dicas, ex hac ratione sequi, quod allocutio Angelica sit actus voluntatis, & non intellectus, quia hoc ipso, quo voluntas vult hunc conceptum ordinari ad alterum, facit de pertinentibus ad ipsum, & tollit obstaculum: ergo ex dictis manet ipsi manifestum; atqui tamen falsum est consequens, cum loqui sit actus intellectus, & non voluntatis: ergo & Ant. R. N. sequelam. Ad prob. dico, quod quavis actus voluntatis præsupponatur ad locutionem, non tamen fiat formalitèr per illum, sed per actum intellectus; quia locutio non est simpliciter volitio ad alterum, sed est volitio ad alterum, ut illi manifestetur occultum, & ad ipsum ordinetur, non ut volitum, sed ut manifestum; unde non tollitur impedimentum, nec ad alterum pertinet ut cognoscatur, nisi de facto manifestetur, & ordinetur; manifestare autem, & ordinare unum alteri fit per actum intellectus, qui est vel imperium, vel oratio, vel narratio.

Prob. 2. Conclusio, ostendendo omnes conditiones requisitas ad locutionem reperiri in nostro dicendi modo. Ad locutionem requiritur 1. quod sit manifestativa conceptus interioris. 2. Quod excitetur audiens, ut loquenti attendat, & ipsum percipiat. 3. Quod possit servare secretum, & non manifestetur omnibus, quod vult ut tantum, aut paucis communicare: alias everteretur totus convicius, & regimen politicum. 4. Quod possit in locutione esse mendacium, & deceptio audientis; quia Angeli possunt mentiri, & de facto sæpe mentiuntur dæmones; atqui hæc quatuor conditiones salvantur in locutione, a nobis post Auctorem explicata per directionem conceptus manifestandi ad audientem: ergo.

Prob. Min. 1. Est manifestativa conceptus; siquidem, ut dixi, per eam tollitur impedimentum, & conceptus fiat de pertinentibus ad audientem. 2. Excitatur audiens (& in hoc est præci-

pua difficultas) ad attendendum ad locutionem sibi de novo factam, eo modo quo diximus supra Angelum excitari ad intelligenda futura, quando sunt præsentia. (In 2. cit. ad 4.) Scilicet Angelus est semper in actuali consideratione sui ipsius; & eorum, quæ sunt in ipso. Sicut autem sunt in ipso species repræsentativæ in actu 1. futurorum, ita sunt species actu repræsentantes alterius Angeli naturam, potentias, species, & actus quoad specificam eorum rationem, & repræsentativæ in actu 1: quoad illorum exercitium. Sicut ergo, quando quædam de novo fiunt in mundo, excitatur, & determinatur mens Angelica, ut illud actu cognoscat tanquam quid ad ordinem mundi jam pertinens, & ut quid sibi proportionatum intra spheram suæ cognoscibilitatis; ita, dum exurgit conceptus alterius, non de novo absolute; sed de novo erga ipsum, quia quod prius ad ipsum non pertinebat, jam per directionem pertinet, excitatur; & determinatur ad attendendum; & intelligendum illum ut sibi proportionatum, & intra spheram suæ cognoscibilitatis; sive ista mentis in intelligendo, & speciei in repræsentando excitatio, & determinatio habeatur per resultantiam ex positione objecti proportionati, sicut relatio, ut quidam dicunt; sive, ut diximus alibi, deriveur ab ideis divinis ex vi primæ infusionis. Confer, quæ dixi de cognitione Angelica futurorum. 3. Servatur secretum; quia, cum ille, ad quem fit locutio, non intelligat conceptum loquentis, nisi quia per directionem incipit ad illum pertinere; & ad illum solum fiat directio, non ad alios; planè sequitur; quod ille solus, & non alii intelligant. 4. Tandem datur locus mendacio; quia Angelus volens decipere, potest formare duos conceptus, unum quoad se, per quem exprimit & cognoscit suos affectus prout sunt in re, & hunc non dirigit, sed apud se retinet; alterum, quo exprimat se tales affectus non habere, non ita cogitare, non ita esse, & hunc dirigit; palam est, quod audientem decipiat, & illi mentiatur: similiter dirigendo conceptum exprimentem se velle, quod non vult; se cogitare, quæ non cogitat, se nescire de spiritualibus, quæ scit: ergo.

Dicas circa 2. conditionem: Species Angeli, ad quem fit locutio, posita directione Angeli loquentis, eo modo repræsentat conceptum illius, quomodo repræsentat, quod erat futurum, quando de facto fit præsens, ut diximus; atqui Angelus, posita præsentia illius, quod erat futurum, non semper ad illud attendit, sed quandoque alio distrahitur: ergo similiter, posita directione Angeli loquentis, Angelus, ad quem fit allocutio, non semper attendit ad directionem seu conceptum directum: ergo debet assignari aliquid aliud, quo excitetur ad attendendum, alioquin Angelus non posset loqui, quando vellet, aut saltem loquendo non audiretur. R. Hoc inconveniens non currit in Angelis beatis, qui vident in verbo omnia, quæ ad ipsos pertinent, abstracted a visione beata.

Respondet Joannes a S. Thom. non esse inconveniens, quod Angelus alio distractus non attendat ad aliquam allocutionem sibi factam, cum inter nos, licet signis sensibilibus excitatus, id quotidie contingat, quavis rarissime aut forte nunquam id accidat Angelis propter perfectissimam perspicaciam intellectus Angeli ad attendendum ad omnia, quæ ad ipsum pertinent. Si quæras, casu quo loquens non audiatur, & urgat necessitas ut audiatur, quomodo excitabit alterum, ut audiat? Respondet laudatus Theologus, id jam non pertinere ad modum excitationis, sed ad remedia excitandi hoc vel illud, & plura suggerit. 1. Poterit procurare excitationem per alios Angelos, quibus cognoscit illum, cui loquitur, familiaris uti, sicut fit inter homines. 2. Potest orare Deum, ut excitet alterum Angelum. 3. Si ista non prosint, parumper expectet, brevissime, & facillimè revertetur Angelus ad attendendum ad ea, quæ ipsum spectant, eo quod actu in se videat species suas determinari ad ea, quæ ad se pertinent.

Respondent alii, quod, dato Angelum non attendere semper ad omnia præsentia, quæ spectant ordinem Universi (quod tamen non absolute concedunt, sed id incertum dicunt) attendat tamen semper, quando ad ipsum singularitèr diriguntur, & pertinent, quia id exigit naturalis Angelorum perfectio; ita ut ad illam attentionem divina providentia cooccurat, & quidem naturalitèr. Sicut enim Deus legem sibi quodammodo imposuit; ut, introducta ultima dispositione in Embryone; statim animam ex nihilo creatam corpori infunderet; sic constituit, ut in Angelo conceptum suum ordiante, alter attenderet; ut in Republica Angelica perfecta politia, suavis consensus, & ordinata societas emerit. Non enim minor est supremi Numinis providentia circa spirituales, quam circa corporales substantiam. In cujus responsionis confirmationem profertur dictum Cardinalis Cajetani, scilicet omnes sensitivas vires nihil aliud esse, quam diminutas quasdam participationes intellectivæ potentie, quæ, cum respiciat totam latitudinem entis, præhabet unitatem, & eminenter (præsertim in summo gradu, qui est Angelicus) totam multitudinem virium, quæ in sensibus dispersa est, ac proinde æquivaleret illi omnibus signis, quibus nos loqui-

Theol. Billuart. Pars Prima.

mur & audimus. Ita noster Contentonus. Hæc 2. responsio videtur rem compendiosius conficere, quam tamen voluerit, Lector eligat; utraque est probabilis.

Prob. 3. Concl. impugnando alios dicendi modos. Unus Angelus non loquitur alteri producendo in eo per influxum physicum notitiam actualem; neque speciem repræsentativam sui conceptus, neque formando signa: ergo per solam directionem conceptus. Patet Conseq. a sufficienti enumeratione; quia hi sunt alii communiores dicendi modi. Prob. Ant. 1. Non loquitur producendo in altero notitiam actualem aut speciem; quia ultra quod notitia actualis, cum sit actio vitalis, debeat esse ab intrinseco, si per illius aut speciei productionem in mente audientis fieret locutio Angelica, sequeretur 1. quod non posset fieri in quacumque distantia (quod falsum modo probabo); cum enim Angelus sit virtutis finitæ; non potest physicè agere in quacumque distantia; sed tantum intra distantiam finitam; quæ sit sphaera suæ activitatis. 2. Sequeretur, quod Angelus loquens vel illaberetur in mentem audientis; & sic non posset loqui simul pluribus, quia non posset esse simul in pluribus; adde, quod sit illapsus soli Deo proprius; vel operaretur in distant, & tam cognitio; quam species productæ, quæ sunt accidentia spiritualia, transirent per medium corporeum. 3. Sequeretur quoad speciem, quod non posset servari secretum in locutione; quia illa species, cum non esset futurum contingens; neque actus liber; neque quid supernaturalè, contineretur intra objectum cognoscibile a quocumque Angelo: ergo.

2. Non fit locutio Angelica formando signa; quia vel illa signa forent corporea, vel spiritualia: non corporea, esset enim absurdum, naturam Angelicam totam spiritualem, & in suo ordine spirituali perfectam dependere in suo coactivi, & regimine a corporeis: Et aliunde; supposito quod nulla essent corpora, Angeli nihilominus inter se loquerentur. Neque spiritualia; hæc enim sunt inexplicabilia, si non sint actus aut species: vel dicant adversarii, quid sint. Insuper in signis sive spiritualibus, sive corporalibus non servaretur secretum locutionis; quia vel ista signa significarent naturalitèr, & sic intelligerentur ab omnibus; similiter si ad placitum, quia significarent ex communi impositione coetis Angelici: nisi forte dicas, præter signa communia esse quædam singulis particularia: ergo tot erunt signa particularia, non solum quot sunt Angeli, sed quot possunt fieri Angelorum combinationes; si enim unus unus loquatur; debet uti signo isti proprio; si duobus, debet uti signis aliis his duobus propriis, similiter, si tribus, si quatuor, si quinque; & sic de omnibus: iterum debent multiplicari signa, si diversificentur combinationes; nam signum, quod erit proprium Gabrieli & Raphaëli, non erit proprium Gabrieli & Michaëli, & sic prope in infinitum. Hæc autem esse fragmenta, nemo non videt.

Ex dictis, præsertim in 2. probat. omnes ferme objectiones præoccupantur & solvantur, quare eas omitto. Restat una vel altera S. Thom. auctoritas explicanda. Opponitur itaque 1. S. Thom. hic q. 107. art. 1. ad 3. dicit: *Sicut sensus movetur a sensibili, ita intellectus movetur ab intelligibili: sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum;* atqui constat, quod signum sensibile immitat speciem in mentem audientis: ergo similiter signum intelligibile speciem intelligibilem in mentem audientis. Et quid aliud foret ista virtus intelligibilis nisi species? 2. S. Doctor in 2. d. 11. in secunda parte Textus q. 1. art. 3. o. dicit: *In Angelis interior conceptus mentis, libero arbitrio subjacens, ab alio videri non potest; quando ergo speciem conceptam ordinat ut manifestandam alteri, dicitur verbum cordis: quando vero coordinat eam alicui eorum, que minus Angelus in alio naturalitèr videre potest illud naturalitèr cognoscibile fit signum expressivum interioris conceptus; & talis impressio vocatur locutio, non quidem vocalis, sed intellectualibus signis expressa, & virtus exprimendi dicitur lingua eorum.* Idem docet lect. 1. in c. 13. 1. ad Cor. Ergo juxta S. Thom. Angeli loquuntur per signa: R. Cum & conclusio nostra & ejus probationes sint desumptæ ex S. Doctore, & insuper q. cit. de verit. art. 5. ad 2. expressè dicat, quod *Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur;* & quod *non oportet quod loquens aliquid innodat ei, cui loquitur;* idemque repetat ad 5. certo certius est, textus objectos non esse intelligendos; sicut intelligunt opposites. Unde

Ad 1. R. comparisonem factam a S. Thom. cum signo sensibili tenere, non quoad modum excitandi, quasi utrobique fiat per immissionem speciei; sed quantum ad effectum ipsum excitandi; quia utrobique fit excitatio, sed diverso modo. Virtutem autem intelligibilem nominat ipsam ordinationem conceptus ad alterum, qua redditur illi proportionatus perinde ac si de novo produceretur.

Ad 2. R. non poni a S. Th. signa, quæ sint qualitates de novo productæ, ut ponit opinio contraria; sed dicitur ab eo

Qq 2

sig-

signum id, quod est naturaliter notum ab Angelo audiente in Angelo loquente, ut sunt substantia, potentia, & species Angeli loquentis, quatenus per eandem horum speciem etiam cognoscit conceptum loquentis, hoc ipso quod per ejus directionem incipit pertinere ad ipsum audientem; & coordinatur his, quae naturaliter cognoscit. Ita se explicat ipse S. Doct. q. cit. de verit. ad 11. ubi ait: *Unus Angelus cognitionem alterius cognoscit per speciem innotam, per quam alium Angelum cognoscit, quia per eandem cognoscit omne quod cognoscit in alio Angelo: unde quum dicitur Angelus se ordinat ad alium Angelum secundum actum alicujus formae, ille Angelus cognoscit cognitionem ejus, & hoc dependet ex voluntate Angeli.* Idem docet in 2. cit. ad 4.

Petes 1. utrum Angeli inferiores possint loqui superibus, & omnes Deo? R. affirmative pro utraque parte. (*Hic art. 2. & 3. o.*) Patet 1. pars; quia Angelus inferior potest dirigere suum conceptum superiori ut ipsi innotescat, quod est Angelum loqui, ut diximus. (*Ibid. art. 2.*) 2. Pars constat ex Scriptura. (*Ibid. art. 3.*) Zachar. 1. Angelus refertur dixisse Deo: *Domine exercituum, usquequid tu non miseraberis Jerusalem & urbium Juda,* & Job. 1. & 2. introducitur Sathan varia loquens Deo. Loquitur autem Angelus Deo, non ut aliquid ei manifestet (omnia enim sunt oculis Dei nuda & aperta) sed ut aliquid ab eo discat vel obtineat, nimirum vel orando, vel consultando ejus voluntatem & sapientiam, vel laudando & admirando ejus majestatem & potentiam.

Petes 2. utrum Angelus possit alteri loqui in quacunque distantia? (*Hic art. 4. o.*) R. affirmative. Patet 1. ex Scriptura Luc. 16. ubi dicitur Epulo in Inferno positus loquebatur Abraham in Lybmo Patrum existentem. 2. ratione; quia locutio Angelica in intellectuali operatione consistit; atque intellectualis operatio est omnino independens a loco & tempore: nam etiam nostra intellectualis operatio est per abstractionem ab hic & nunc, nisi per accidens ex parte phantasmatum: ergo.

ARTICULUS II.

De Illuminatione Angelorum.

Lumen (*Hic q. 106. art. 1. o.*) secundum quod ad intellectum pertinet: nihil est aliud, quam manifestatio veritatis, secundum illud ad Ephes. 5. *Omne, quod manifestatur, lumen est.* Unde illuminare nihil aliud est, quam manifestare veritatem, non simpliciter; id enim fit per locutionem; sed cum magisterio & doctrina, id est, artificioso modo disponendo & aptando res intelligentias seu veritates, ut vi talis dispositionis alter eas possit percipere; tunc enim est quasi clarificans & illuminans alterius mentem ad percipiendam veritatem.

Dico 1. Angeli superiores illuminant inferiores. (*Ibid.*) Est communis cum Auctore contra Durandum, qui dicit Angelos a solo Deo illuminari, ministerio tamen Angelorum. Desumitur ex S. Dionys. Coelest. Hierarch. cap. 4. 7. & 8. estque conformis Scripturae, quae Ps. 23. introducit quosdam Angelos interrogantes: *Quis est iste Rex gloriae?* & alios respondentes: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae:* idemque sentiant SS. Patres, Athanas. libr. de communionem similis essentiae. Damasc. l. 2. de fide cap. 3. Bernard. l. 5. de considerat. cap. 4. & alii. (*Ibid.*) Ratio est; quia, cum Angeli superiores habeant species universales, & perfectius, subtilius, atque altius intelligent, quam inferiores, possunt hos universales & perfectiores conceptus dividere & explicare, sicutque intelligentiam inferiorem aptare, atque eis communicare; quod est illuminare. Id autem eos praestare, patet; quia quanto aliqua agentia magis in participatione divinae bonitatis constituentur, tanto magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere ad instar bonitatis divinae, quae sese omnibus communicat, ut dicemus iterum infra: ergo Angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, quicquid a Deo participant, subjectis impertiuntur.

Sed difficultas est, quomodo fiat haec illuminatio? An per solam explicationem & artificiosam objecti propositionem, quasi per quoddam magisterium, an etiam per infusionem novi luminis, aut speciei? Pro cuius resolutione.

Dico 2. Illuminatio (*Ibid. ad 2. et q. 9. de verit. art. 1. ad 2.*) Angelorum non fit per infusionem novi luminis aut speciei, sed per solam objecti prius cognitum propositionem explicatam, & artificiosam dispositam ad captum Angeli inferioris.

Prob. disertissimis testimoniis D. Th. de cuius mente praecipue hic est. S. Doct. hic art. 1. ad 2. dicit: *Unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturae, vel gratiae, vel gloriae, sed confortando lumen naturae ipsius, et manifestando ei veritatem de his, quae pertinent ad statum naturae et gratiae et gloriae.* Et q. 9. de verit. art. 1. ad 2. explicat; quomodo fiat haec confortatio, in quo est difficultas, sic dicens: *Ab Angelo illuminante non fit novum lumen naturae vel gratiae, nisi ut participat*

tum. Cum enim omne, quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoscatur, ipsum cognitum in quantum hujusmodi includit in se intellectualem lumen ut participatum, ex cuius virtute habet intellectum confortare: sicut patet, quando magister tradit discipulo aliquod medium alicujus demonstrationis, in quo participatur lumen intellectus agentis, ut in instrumento... Unde per hoc quod superior Angelus suum cognitum alteri Angelo demonstrat, ejus intellectus confortatur ad alia cognoscenda quae prius non cognoscebat: & sic non fit in Angelo illuminato novum lumen naturae vel gratiae, sed lumen, quod prius inerat, confortatur per lumen contentum in cognito percepto a superiori Angelo. Quid expressius?

Ex his sic formo argumentum: Ad illuminationem duo requiruntur, manifestatio objecti prius incogniti, & confortatio potentiae illuminatae; atque per propositionem objecti dispositi ad captum potentiae illuminatae, quam dicimus artificiosum quoddam magisterium, manifestatur objectum prius incognitum, ut patet, & simul confortatur potentia intelligens, quae illuminatur: quod Prob. Isti artificiosa propositio objecti proportionata ad captum potentiae illuminatae consistit in hoc, quod superior Angelus, qui per species simpliciores & universales intelligit; veritatem, quam proponit, distinguit, dividat, aptet intellectui inferioris Angeli, qui per species minus universales & magis multiplicatas intelligit: ita ut Angelus superior objectum sic proponendo illud ipsum illuminet, summeque lumen superius in eo objecto sic propositum respondeat: *Cognitum in quantum hujusmodi*, inquit Auctor, *includit in se intellectualem lumen ut participatum*; consequenter potentiam intellectivam inferioris confortat, quia proprium est luminis, ubicumque sit confortare potentiam, & cum sit lumen superioris & perfectioris intelligentis elevat inferiorem potentiam intellectivam ad perfectiorem modum intelligendi: ergo. Ex his bene perceptis facile solves, quae infra opponuntur ex D. Th. Iterum

Prob. 2. Concl. ex refutatione aliarum opinionum. Illuminatio Angelorum non fit per infusionem novi luminis aut specierum; neque per unionem luminis superioris Angeli cum lumine inferioris: ergo per solam objecti representationem dearticulatam & accommodatam capacitati Angeli inferioris. Prob. 1. pars Ant. 1. quia ad infusionem novi luminis, aut speciei, Angelus superior debet illabi in mentem inferioris, quod soli Deo proprium est. 2. Quia potentia Angelica non suscipit majus & minus, sed habet totam perfectionem ipsi naturaliter debitam, & omnes species infusas in sui creatione. 3. Quia istud lumen val foret supernaturale; & hoc a solo Deo potest infundi; vel naturale & hoc non sufficeret, quia illuminatio fit potissimum de rebus supernaturalibus. Confer art. praeced. Prob. 2. pars Ant. contra Bannem & Zumel. Ideo isti Auctores recurrunt ad unionem luminis Angeli superioris cum lumine Angeli inferioris, qui existimant intellectum inferioris ex lumine proprio esse physicis & intrinsecis impotentem ad intelligendam veritatem, de qua illuminatur; atque per istam unionem non fieret physicis & intrinsecis potens, quia lumen superius unitum & simultaneis concurrens, nihil physicum & intrinsecum in inferiori imprimat: ergo.

Obj. ex D. Th. 1. S. Doctor hic art. 1. o. docet, Angelum superiorum duo praestare illuminando inferiorum, unum ex parte potentiae intellectivae eam confortando, aliud ex parte similitudinis rei intellectae proponendo ei veritatem prius ignotam; atque, si confortatio potentiae intellectivae oritur ex propositione objecti, haec duo non distingueret: ergo. Confirmatur. Dicit ibidem, quod, sicut minus calidum crescit ex praesentia magis calidi, ita virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex conversione superioris Angeli: ergo, sicut calor corporis magis calidi intendit ex sua propinquitate calorem minus calidi, ita superior Angelus illuminando inferiorem intendit ex sua conversione lumen naturale ipsius. 2. S. Doct. infra q. 117. art. 1. o. dicit, quod *magister confortat intellectum addiscens, non quidem aliqua virtute activa quasi superioris naturae, sicut supra dictum est de Angelis; quia omnes hominum intellectus sunt unius gradus in ordine naturae, sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusionem;* &c. ergo sentit, intellectum inferioris Angeli corroborari a superiore per virtutem aliquam agentem in inferiorem, & non solum per propositionem objecti, ut fit inter homines.

R. ad 1. D. Min. Si confortatio potentiae intellectivae oriretur ex propositione objecti, haec duo non distingueret, ut duas res, C. Min. ut duo munia, seu duos effectus ejusdem rei, N. Min. Eadem enim propositio objecti dearticulata & proportionata, ut est similitudo rei intellectae, manifestat veritatem prius ignotam, & quatenus in ea relucet lumen participatum ab illuminante, confortat potentiam illuminatam. Et hoc ita verum est juxta mentem S. Doctoris, ut in testimonio desumpto ex q. 117. 2. loco objecto, haec etiam duo distinguit in illuminatione, qua magister discipulum illuminat; & tamen tunc confortatio fit sola ver-

riatis propositione, non virtute aliqua magistri producente aliquid in intellectu discipuli. Confer probationem conclusionis ex eodem S. Th. Et hinc patet responsio ad confirm. subditis enim paritas quantum ad conformationem ex utraque parte, sed non quantum ad modum confortationis.

Ad 2. N. Conseq. quia S. Th. non ponit differentiam inter corroboracionem factam ab Angelo & factam ab homine, quod illa fiat virtute activa, non ista; utraque enim fit virtute activa illuminantis, non quidem efficiente aut immutante interius lumen in illuminato, sed sistente in ipsa propositione objecti, quod artificiosè disponit, & in quo resplendet. Sed ponit differentiam S. D. quod illuminatio Angelica fiat virtute activa superioris naturae, non humana; quia, inquit, *omnes hominum intellectus sunt unius gradus in ordine naturae.* Ex quo sequitur, quod Angelus illuminatus elevatur quodam modo ad modum intelligendi naturae superioris, non sic discipulus illuminatus a magistro; & quod Angelus superior possit manifestare inferiori aliquid, quod sit per se ignotum, & ejus lumen secundum se sumptum improporcionatum; magister autem discipulo, quod est tantum per accidens ignotum.

ARTICULUS III.

Variae quaestiones circa illuminationem Angelorum breviter resolvuntur.

Petes 1. utrum Angelus inferior illuminet superiorem? (*Hic art. 3. o. & ad 1.*) R. Negative: quia licet Angelus inferior loquatur superiori, manifestando ei suos conceptus, id tamen non facit per modum illuminationis & magisterii, dividendo, distinguendo & aptando suos conceptus ad captum superioris, ejusque intellectum confortando, cum sit luminis inferioris & imperfectioris.

Dico 1. Quaedam mysteria innotuerunt Angelis per Apostolos ipsos Angelos inferiores, juxta illud ad Ephes. 3. *Ut innotescat Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam multiformis Deus sapientia.* In Ecclesiastica Hierarch. superiores quandoque illuminantur ab inferioribus; Ecclesiastica autem Hierarchia imitatur coelestem, a qua derivatur: ergo. (*In cap. 3. ad Ephes. & in 2. d. 11. q. unica art. 4.*) R. Ad 1. D. Ant. Quaedam mysteria Angelis innotuerunt per Apostolos per modum illuminationis & doctrinae, N. per modum expletionis rerum, C. quatenus scilicet, cum quaedam circa Mysterium Incarnationis, quam futuram ex revelatione noverat Angeli, praedicationibus Apostolis impleta sunt, ea ut praesentia cognoverunt Angeli, non tamen ab Apostolis edociti. Unde quaedam noverunt per Apostolos, sed non ab Apostolis. Ad 2. disparitas est, quod inter homines, qui sunt gradu ad sanctitate superiores, non sint semper doctrina praestantiores, cuius contrarium accidit in Angelis: unde, licet Ecclesiastica Hierarchia coelestem imitetur in aliquibus, non tamen in omnibus, nec ejus perfectionem integre assequitur.

Petes 2. De quibus superiores Angeli illuminent inferiores? (*Hic art. 1. ad 1. et art. 4. o.*) R. Superiores Angelos illuminare inferiores de omnibus sibi notis, quae pertinent ad statum naturae, gratiae, & gloriae. (*Art. 4. cit.*) Ratio est; quia, ut jam dixi, omnes creaturae ex divina bonitate participant; ut bonum quod habent in alias diffundant, nam de ratione boni est; quod se aliis communicet; & inde est, quod agentia naturalia similitudinem suam aliis tradunt, in quantum possibile est: ergo SS. Angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, quicquid a Deo participant, subjectis impartiuntur; participant autem bonum divinum in triplici ordine, naturae, gratiae, & gloriae, quia Deus, cum sit summum bonum, se in hoc triplici ordine immediatè communicat superioribus Angelis, & his mediantibus, Angelis inferioribus.

Non tamen (*Ibid.*) bonum communicatum superioribus recipitur ab inferioribus ita excellenter, sicut est in superioribus; & ideo superiores semper remanent in altiori ordine & perfectiorem scientiam habent: sicut unam & eandem rem plenius intelligit magister, quam discipulus, qui ab eo addiscit. (*Ibid. 3.*) Et quia usque ad diem iudicii semper nova aliqua suprema Angelis revelantur divinitus de his, quae pertinent ad dispositionem mundi, & praecipue ad salutem electorum, ideo semper remanent, unde superiores Angeli inferiores illuminant.

Dixi (*Ibid. art. 1. ad 1.*) de pertinentibus ad statum gloriae, quia circa ipsam gloriam & visionem beatam *Non docet vir proximum suum*, Jerem. 31. *Nec civitas, illa coelestis, eget Sole, neque Luna: nam claritas Dei illuminat eam.* Apoc. 21. & omnes Angeli tam superiores, quam inferiores immediatè vident Dei essentiam.

Dico 2. Omnes Angeli inferiores naturaliter cognoscunt omnium rerum naturalium quidditates & proprietates: ergo non possunt de his illuminari. R. Quod, licet cognoscant omnium rerum naturalium quidditates & proprietates, non tamen cognoscunt quid de illis rebus naturalibus fieri potest, vel fortitudo, vel Deo volente, nisi superiores de his a Deo edocentur, & inferiores a superioribus.

Petes 3. utrum daemones superiores illuminent inferiores? R. Negative; loquendo de illuminatione proprie sumpta; pro manifestatione veritatis, proit est a Deo, & ordinatur ad Deum, qui est prima veritas & illuminat omnem intellectum: daemones enim ordinant manifestationem veritatis ad suam nequitiam, & ideo non illuminant, sed potius tenebras effundunt. (*Hic art. 2. ad 1. & q. 109. art. 4. o.*)

Petes 4. utrum boni Angeli illuminent daemones? (*Hic q. 109. art. 4. ad 1.*) R. Quod per sanctos Angelos multa de divinis mysteriis daemionibus revelantur, cum divina iustitia exigat, ut per daemones aliqua fiant, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum, sicut in rebus humanis assessores iudicis revelant tortoribus ejus sententiam. Hujusmodi autem revelationes, si ad Angelos revelantes comparantur, illuminationes sunt; quia ordinant eas ad Deum: ex parte vero daemionum non sunt illuminationes, quia eas in Deum non ordinant, sed ad expletionem propriae iniquitatis, ut jam dictum est. Igitur boni Angeli illuminant malos; sed mali non illuminantur, quia tam ad illuminationem passivam, quam ad activam requiruntur, quod manifestatio veritatis ordinetur ad Deum, sine quo sunt tenebrae.

Petes 5. Utrum illuminatio, purgatio, & perfectio inter se differant? R. Differre tantum ratione; quia eadem actio; quatenus est manifestatio veritatis, dicitur illuminatio; quatenus removel nescientiam, dicitur purgatio; quatenus tribuendo cognitionem prius habitam adfert quendam perfectionem, dicitur perfectio.

Petes 6. tandem, in quo differunt illuminatio & locutio? R. Differre 1. quia, ut jam diximus, illuminatio fit per modum magisterii & doctrinae, corroborando intellectum; locutio per simplicem manifestationem conceptus. Et hinc 2. ad illuminationem requiritur, quod manifestetur veritas prius ignota, ad locutionem sufficit directio manifestativa conceptus, sive sit de re ignota, vel nota; de notis enim Angeli, sicut nos possunt loqui, sive de rebus pertinentibus vel impertinentibus; sive animo docendi vel discendi, ut dum Angeli loquuntur Deo, & discipulus magistro. (*Hic art. 2. o.*) 3. Illuminatio est manifestatio veritatis; ut pendet a prima veritate, quae sola est lux & regula veritatis; ut si dicas caelum a Deo creatum. Locutio autem est aperire suum conceptum, sive veritas illius pendeat a Deo, sive a libertate creaturae, ut si dicas: volo hoc facere vel addicere; & potest esse falsi. Ex quibus habes, omnem illuminationem esse locutionem, non tamen omnem locutionem esse illuminationem.

TRACTATUS
DISSERTATIO VIII.
DE HIERARCHIIS, ORDINIBUS, MISSIONE, ET CUSTODIA ANGELORUM.

D. Th. QQ. 108. 109. 112. 113. & 114.

ARTICULUS I.

De Hierarchiis, & Ordinibus Angelorum.

D. Th. QQ. 108. & 109.

Hierarchia est (Hic q. 108. art. 1. o.) sacer Principatus. In nomine autem Principatus duo intelliguntur, scilicet ipse Princeps, & multitudo ordinata sub Principe. Quia igitur unus est Deus Princeps, non solum omnium Angelorum, sed etiam hominum, & omnis creaturæ; ideo non solum omnium Angelorum, sed etiam totius rationalis creaturæ, quæ sacrorum particeps esse potest, una est Hierarchia ex parte Principis. Questio itaque est de Hierarchia, seu Principatu, considerato ex parte multitudinis ordinatæ sub Principe. Pro quo

Dico 1. Tres (Ibid.) sunt Hierarchiæ Angelorum. Ita communiter Theologi post S. Dionys. cap. 6. celestis Hierarch. (Ibid.) Prob. Hierarchia, quæ, ut dixi, est multitudo ordinata sub Principe, dicitur una secundum quod multitudo uno, & eodem modo potest gubernationem Principis percipere; quæ verò non possunt secundum eundem modum gubernari a Principe, ad diversos Principatus, seu Hierarchias pertinent; atqui Angeli non uno, sed triplici modo gubernantur a Deo: ergo. Prob. Min. Angeli, cum sint puri spiritus, non possunt aliis propriè subici, & ab aliis gubernari, nisi ex parte cogitationis, qua unus ab alio illuminatur; atqui triplex est modus, seu gradus cogitationis, & illuminationis in Angelis: ergo triplici modo gubernantur. Prob. Min. Quidam veritatis lumen hauriunt immediate in primo principio, quod est Deus, & hi pertinent ad primam Hierarchiam, quæ immediate circa Deum occupatur, & quasi in vestibulis Dei collocatur, ut dicit Dionys. cap. 7. celest. Hierarch. Quidam hauriunt illud in universalioribus principiis, & causis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicatur: & hi pertinent ad secundam Hierarchiam. Quidam in propriis, & particularibus causis; & hi pertinent ad tertiam Hierarchiam: ergo. Res illustratur exemplis: sic in Monarchia Ministri Regi assistentes ab ipso immediate accipiunt dispositionem. Regni Senatores, & Provinciarum Governatores a legibus, & statutis Regni; Ballivi in Civitatibus a locorum statutis, & statutis Regni. Vel: in Regimine Ecclesiastico, Eminentissimi Cardinales immediate assistunt supremo Hierarchiæ, qui est SS. Pontifex: Episcopi præsentunt Dioecibus per modum cause universales: Parochi singulis Parochiis, ut cause particulares.

Dico 2. In qualibet (Ibid. art. 2. o.) Hierarchia sunt tres ordines, ita ut sint novem ordines, seu chori Angelorum. Ita etiam communiter post Dionys. cap. 6. 7. 8. & 9. celest. Hierarch. (Ibid.) Prob. 1. quod in qualibet Hierarchia sint ordines. Una Hierarchia, ut diximus, est unus Principatus, id est, una multitudo ordinata sub Principe gubernatione; atqui non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent: ergo ipsa ratio Hierarchiæ requirit ordinum diversitatem.

Prob. 2. quod in (Ibid.) qualibet Hierarchia sunt tres ordines. Hæc ordinum diversitas attenditur secundum diversa officia, & actus: sicut patet, quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus: nam alius est ordo iudicantium, & alius pugnantium, & alius laborantium in agris, & sic de cæteris. Sed quantum multi sint unius civitatis ordines, omnes tamen ad tres reduci possunt, secundum quod quilibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem. Unde in civitatibus triplex ordo hominum invenitur. Quidam enim sunt supremi, ut optimates: quidam sunt infimi, ut vilis populus: quidam sunt mediæ, ut populus honorabilis. Sic igitur in qualibet Hierarchia Angelica ordines distinguuntur secundum diversos actus, & officia, & omnis ista diversitas ad tria reducitur scilicet ad summum, medium, & infimum.

In suprema Hierarchia sunt Seraphim, Cherubim, & Throni. In 2. Dominationes, Virtutes, & Potestates. In 3. Principatus, Archangeli, & Angeli, (Ibid. art. 5. in arg. s. c.) eaque nomina habemus in Scripturis: nomen enim Seraphim ponitur Is. 6. Nomen Cherubim Ezech. 1. Nomen Thronorum Coloss. 1. Dominationes, Virtutes, Potestates, & Principatus, ponuntur Ephes. 1. Nomina Archangelorum ponuntur in Canonica Judæ. Nomina tandem Angelorum in pluribus Scripturæ locis. Conveniunt autem sic nominantur a suis proprietatibus, & officiis. (Ibid. a. 5. ad 5.) Seraphim dicuntur ab ardentissimo charitatis igne, quo incenduntur, & alios incendunt. Cherubim a plenitudine, & excessu quodam scientiæ, quam in alios diffundunt. (Ibid. ad 6.) Throni dicuntur ex eo quod Deum familiariter in seipsis quasi

in throno recipiunt, rationes rerum immediate in ipso cognoscendo. Et quamvis id sit commune primæ Hierarchiæ, quia tamen Throni non habent in eo præminentiam, sicut Seraphim, & Cherubim, nominantur ab eo, quod est commune toti Hierarchiæ. Et hi tres ordines immediate Deo assistent, ut jam dixi, & circa ipsum occupantur.

Dominationes, (Ibid. ad 1. 2. & 3.) Virtutes, & Potestates continentur in secunda Hierarchia, cuius est res in universalibus principiis considerare, & de agendis generaliter disponere. Dicuntur itaque Dominationes, qui alios inferiores sibi subiectos habent, & ad quos omne aliorum officium circa agenda refertur: Virtutes, qui fortitudine præcellunt, eamque aliis ad executionem communicant: Potestates, qui agenda ab inferioribus ordinant, & demones coercent. (Ibid. ad 1. 3. & 4.) Principatus, Archangeli, & Angeli continentur in tertia Hierarchia, cuius est operum executio. Dicuntur Principatus, quia primi sunt, & veluti Principes, & Duces in executione. Archangeli dicuntur quasi principes Angeli, quia respectu Angelorum sunt Principes, & circa nobilitate ac summa versantur. Angeli dicuntur, qui, cum non habeant ullam excellentiam in manifestatione divinorum secretorum, nomen commune retinent, & minima nuntiant.

Petes, Utrum in demonibus sit Hierarchia, & Prælatio? (Hic q. 109. art. 1. & 2. o.) R. non esse quantum ad gratiam & gloriam, a quibus exciderunt: esse tamen quantum ad naturam, & naturæ gradum, quia eam retinent: & hoc convenit divini sapientiæ, quæ nihil in universo inordinatum relinquit, quippe quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Sap. 8.

Observandum tamen, (Ibid. art. 2. ad 2.) quod concordia, seu subordinatio demonum, quæ quidam aliis obediunt, non sit ex amicitia, quam inter se habent, sed ex communi nequitia, qua homines odio habent, & justitiæ Dei repugnant. Est enim proprium hominum impiorum, ut ad propriam nequitiam exercendam eis se adiungant, quos potentiores virtus vident. (Ibid. ad 3.) Hinc nihil boni, dignitatis, aut gloriæ accrescit demonibus, qui alii præsent, sed potius augmentum miseriæ; quia, cum mala facere maxime ad miseriam pertineat, præsent in malis esse magis miserum.

ARTICULUS II.

De missione Angelorum in ministerium. D. Th. Q. 112.

§. I. Utrum Angeli mittantur in ministerium?

Suppono ex q. 110. art. 1. o. Creaturam corporalem administrari per Angelos, sive Deum in gubernatione creaturæ corporalis uti quoad executionem ministerio Angelorum; quia tam in rebus humanis, quam naturalibus, hoc communiter invenitur, quod potestas particularis gubernatur a potestate universali: sic potestas Ballivi gubernatur a potestate Regis. Manifestum est autem, quod virtus cujuslibet corporis est magis particularis, quam virtus substantiæ spiritualis; nam omnis forma corporalis est forma individua per materiam, & determinata ad hic, & nunc: formæ autem immateriales sunt absolutæ, & intelligibiles: & ideo, sicut inferiores Angeli, qui habent formas magis universales, reguntur per superiores, ita omnia corporalia reguntur ministerialiter per Angelos.

Dico: Angeli mittuntur in ministerium. (Q. 112. art. 1. o.) Est de fide tradita in variis Scripturæ locis. Exod. 33. Deus dicit Moysi: *Mittam præcursorum tui Angelum.* Tob. 12. Raphael dicit: *Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit.* Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos suos.* Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.* Gen. 19. duo Angeli dicunt se a Deo missos, ut evertant Sodomam.

Prob. ratione. (Ibid.) Ille dicitur mitti, qui aliquo modo ab aliquo procedit, ut incipiat esse, ubi prius non erat, vel ubi prius erat per alium modum, ut patet ex dictis de missione divinarum personarum in Tract. de Trinitate; atqui Angeli, penes quos est administratio creaturæ corporalis, ut suppositum, per quandam a Deo processionem, nempè per ejus imperium, incipiunt esse, ubi prius non erant, ad exhibendum Deo ministerium, cum applicatur ad aliquid faciendum circa creaturam corporalem: ergo.

Neque tamen (Ibid. ad 2. & 3.) inde inferas, Angelos, dum extra Cœlum Empyreum in his inferioribus aliquos actus exteriores exercent, aliquid dignitatis perdere, aut eorum beatam contemplationem impediri: non enim Angelus aliquid dignitatis

accipit a Cœlo Empyreo; & ideo, quando actu non est in illo, non magis dignitati subtrahitur, quam Regi, quando non actu sedet in regali solio, quod ejus dignitati congruit. Et quantum ad beatam contemplationem, actiones exteriores Angeli in nullo eam impediunt; unde sive sint in Cœlo, sive in terra, sive aliquid exterius agant, sive non, æquè clarè semper vident Deum, & æquè semper sunt beati.

Neque etiam inde sequitur, Angelos esse propriè ministros hominum, sed propriè sunt solius Dei ministri, cui soli ministrant propter nostram salutem, sicut Governator civitatis non est civium, sed Regis minister propter utilitatem civium. Ratio est; quia de ratione ministri est, quod sit subiectus, & inferior ei, cuius est minister: Angeli autem sunt tum gratiæ, cum naturæ donis excellentiores, & superiores hominibus mortalibus.

Si opponas, quod S. Thom. hic ad 4. dicit, quod Angeli ministrant principaliter Deo, & secundariò nobis; & quod S. Bernardus serm. 11. in Psalm. *Qui habitat* dicit, eos esse hominum ministros. R. S. Thomæ sensum esse, quod Angeli actiones suas exteriores exercent principaliter, ut ministrant Deo; secundariò autem propter nostram utilitatem. Ad S. Bernardum, intelligendum est de ministerio, non subjectionis, sed operis, quo pro nobis laborant, nobisque subministrant, quæ sunt salutis nostre utilia: quo sensu Chorus dicit se non venisse ministrari, sed ministrare, & SS. Pontifex se dixit Servorum servorum.

§. II. Utrum omnes Angeli mittantur in ministerium.

Angeli distinguuntur (Ibid. art. 3. o.) in assistentes, & ministrantes, juxta illud Dan. 7. *Milia millium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei.* Assistentes dicuntur, non qui immediate Deum vident, hoc enim omnibus Angelis beatis est commune; sed qui immediate illuminantur a Deo, quales sunt tres ordines primæ Hierarchiæ.

Missio Angelorum est duplex; invisibilis, quæ consistit in hoc, quod superiores illuminent inferiores; & visibilis, qua Angelus mittitur ad aliquod exterius ministerium, sicut dictum est de missione divinarum Personarum in Tract. de Trinitate. Visibilis iterum duplex; una immediata, dum, qui mittuntur, immediate per seipsos opus exequuntur; altera mediata, in iis, qui ex divina ordinatione movent per imperium alios ad ministerium exterius immediate exequendum. Questio est tantum de missione visibili & immediata, an ea omnes Angeli mittantur?

Scotus, Durandus, & plures alii non probabiliter existimant omnes mitti: inferiores quidem regulariter, & secundum legem ordinariam; superiores verò ex speciali dispensatione ad aliquem effectum extraordinarium. S. Thom. post S. Dionys. c. 7. & 13. celest. Hierarch. & Greg. Hom. 8. in Ezech. & Hom. 34. in Evang. docet, tres Ordines primæ Hierarchiæ, & primum secundæ nunquam mitti. Cum S. Thom. sentiat S. Bonavent. Richardus, Major, & communiter Thomistæ cum pluribus extraneis. Cum quibus probabilibus

Dico 1. Angeli superiores nunquam mittuntur, sed inferiores tantum. (Ibid. art. 2. o.) Prob. 1. auctoritate Patrum, & Theologorum, mox laudatorum. (Ibid.) Prob. 2. Ratione. Hoc habet ordo divini Providentiæ, ut jam dictum est, non solum in Angelis, sed etiam in toto Universo, quod inferiora per superiora administrantur; juxta quem ordinem, & legem ordinariam, fatentibus adversariis, Angeli superiores sunt assistentes tantum, & inferiores ministrantes, & missi; atqui non est ratio, propter quam iste ordo aliquando prætermittatur: ergo. Prob. Min. Quod ab hoc ordine in rebus corporalibus aliquando ex divina dispensatione recedatur, id fit propter altiorum ordinem, secundum scilicet quod expedit ad gratiæ manifestationem: sic quod cæcus natus fuit a Deo immediate illuminatus, & similiter Lazarus suscitatus absque aliqua actione corporum celestium, hoc factum est ad manifestationem gratiæ, & fidei confirmationem; atqui ordo Angelicus non habet superiorum ordinem, propter quem prætermittatur: ergo. Prob. Min. Ordo Angelicus attenditur secundum dona gratiarum; atqui ordo gratiæ non habet alium superiorum ordinem, propter quem prætermitti debeat, sicut prætermittitur ordo naturæ propter ordinem gratiæ: ergo.

Confirm. 1. (Ibid.) Ordo nature in operatione miraculorum prætermittitur propter fidei confirmationem; atqui ad id nihil prodesset, si prætermitteretur ordo Angelicus, quia hoc a nobis percipi non posset: ergo. Confirm. 2. Nihil ita magnum est in ministeriis divinis, quod per inferiores ordines exerceri non possit, ut patet in Mysterio Incarnationis, quod est omnium supremum, ad quod annuntium non fuit missus Angelus superior, sed unus ex inferioribus, scilicet Gabriel Archangelus.

Dico 2. (Ibid. art. 3. et 4. o.) Angeli quatuor priorum ordinum non mittuntur, sed tantum Angeli quique inferiorum

ordinum. (Ibid. art. 3.) Prob. 1. quod tres primi ordines non mittantur. Angeli juxta communem Patrum, & Theologorum sensum, ut diximus in prænotamine, distinguuntur in assistentes & ministrantes: assistentes autem, ut etiam diximus, dicuntur, qui a Deo immediate illuminantur, & sunt tres primi ordines; atqui assistentes non sunt ministrantes seu missi, nec e contra ministrantes sunt assistentes; alioquin nulla foret ista distinctio inter assistentes & ministrantes: ergo.

Prob. 2. (Ibid. art. 4.) tota simul Conclusio. Proprietates Angelorum, & eorum officia ex eorum nominibus manifestantur, ut dicit Dionys. c. 7. celest. Hierarch. & ideo Angeli illorum ordinum ad exterius ministerium mittuntur, ex quorum nominibus aliqua executio exterior datur intelligi; atqui ex nominibus quatuor superiorum ordinum, non datur intelligi aliqua executio exterior, bene ex nominibus quinque inferiorum ordinum: ergo. Prob. Min. Plenitudo scientiæ, ardor charitatis, firmitas & tranquillitas mentis in receptione Dei immediata, quæ significatur nomine Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum, non designant, ut patet, executionem, seu ministerium exterius. Similiter in nomine Dominationum non importatur aliqua executio, sed sola dispositio & imperium de exequendis. Secus in nominibus inferiorum ordinum; nam Angeli & Archangeli denominantur a denunciando: Virtutes dicuntur, qui fortitudinem ad exequendum alii communicant: Potestates, qui agenda ordinant, & demones coercent: Principatus, qui in executione sunt Duces: ergo.

Obj. multa contra utramque Conclusionem. 1. ad Hebr. 1. dicitur: *Nomine omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi?* Et omnes illi celestes Spiritus vocantur Angeli, id est nuntii. 2. Isai. 6. Seraphim volavit ad Prophetam, ut ejus labia purgaret. 3. Genes. 3. Deus collocavit Cherubim ante portam Paradisi. 4. Tob. 12. Raphael, qui ad Tobiam missus fuerat, dicit se esse unum ex septem, qui astant ante thronum; assistentes autem sunt supremæ Hierarchiæ. 5. Michaël, qui ab Ecclesia vocatur Princeps, & Primus celestis exercitus, & Daniël. 10. dicitur unus de Principibus primis, ibidem dicitur *Missus*. 6. Matth. 13. omnes Angeli dicuntur venturi cum Christo ad judicium, scilicet causa ministerii. 7. Verbum æternum fuit a Patre missum in hunc mundum: ergo non est incongruum, quod etiam mittantur supremi Angeli. 8. tandem: omnes Angeli juxta Daniël cap. 7. sunt vel assistentes, vel ministrantes; atqui Dominationes non sunt assistentes: ergo ministrantes: ergo mittuntur. (Ibid. art. 2. ad 1.)

R. ad 1. Omnes Angelos esse administratorios spiritus & nuntios, quia omnes mittuntur, alii invisibiliter & mediata, alii visibiliter & immediate; non autem quod omnes mittantur visibiliter & immediate. Ad (Ibid. ad 2.) 2. Seraphim purgavit labia Prophetæ, non immediate per se, sed mediata per inferiorem Angelum, qui ejus virtute hoc fecit: sicut Papa dicitur absolute aliquid, etiam per alium officium absolutionis impendat. Vel dicitur esse Seraphim, id est incendens, æquivocè, quia venerat ad incendendum labia Prophetæ. Unde Dionys. c. 13. celest. Hierarch. dicit, quod iste Angelus fuit de inferioribus Angelis. Ad 3. R. eadem solutione, Cherubim positum ante portam Paradisi fuisse unum ex inferioribus Angelis, qui Cherubinis subordinabatur in custodia ligni scientiæ, quæ Cherubinis tribuitur. (Ibid. art. 3. ad 2.) Ad 4. De Raphaële R. quod per numerum septenarium, phrasi in Scripturis usitata, sæpè intelligantur multi. Unde Greg. hom. 33. dicit, quod *Septenario numero universitas figuratur*: Quo posito, sensus verborum Raphaëlis ad Tobiam est, quod sit unus ex Angelis, qui vident Deum, immediata Dei, quæ competit omnibus Angelis beatis; vel pro eo, quod est esse paratum ad ministerium. Potest etiam dici, quod inter Angelos infimæ Hierarchiæ sint septem mentio in Apocalypsi, & quod horum unus fuit Raphaël. Ad 5. neque S. Thomas, neque nos negamus, omnes aut supremos Angelos mitti ad famulandum Deo, sed ad nuntiandum & ministrandum hominibus circa opera corporalia, & de illis solum procedit ratio Auctoris. Unde admittimus tanquam omnino verisimile non solum in dicto casu iudicii, sed in Nativitate & Ascensione Christi, post ejus tentationem, & alias, aliquos ex supremis Angelis Christo ut suo capiti adfuisse, & illi famulatos fuisse. Cum enim ordo unionis hypostatice sit superior ordine gratiæ, propter illum potest prætermitti ordo, qui servatur in ministeriis Angelorum. Ad 6. cujus & quantæ dignitatis sit Michaël, incertum est. Quidam dicunt, eum esse absolutè principem supremum omnium Angelorum. Juxta quam sententiam respondendum est, quod, cum dicitur missus & venisse in adiutorium Gabriëlis, sensus sit, quod interius illuminando ipsum corroboraverit. Alii volunt, esse primum infimæ Hierarchiæ, aut saltem primum 2. ordinis infimæ Hierarchiæ, scilicet Angelorum, quia vocatur Archangelus in Epist.

Epist. Judæ, & in officio Ecclesiæ, Juxta quam sententiam respodendum est, quod, cum in Scriptura aut in officio Ecclesiæ dicitur primus aut primas, aut Princeps Angelorum, seu celestis militiæ, sensus sit, quod sit Princeps eorum, qui tanquam celestis exercitus mittuntur huc a Deo ad diversa ministeria, sed maxime ad custodiam hominum. Insuper potest dici, quod hoc nomen Michael non sit uni proprium, sed pluribus conveniat juxta varias actiones, ex quibus hoc nomen desumptum est, quod interpretatur, Quis ut Deus? De hac materia videri potest Sylvius hic art. 2. Ad 7. R. Verbum æternum fuisse missum a Patre in hunc mundum ut Redemptorem, quod soli Deo competeat; non ut simplicem ministrum ad quædam exteriora opera crequenda, sicut mittuntur Angeli. (Ibid. art. 4. ad 1.) Ad 8. R. quod Dominiones computantur quidem inter Angelos ministrantes, non sicut exequentes ministerium, sed sicut disponentes generaliter & mandantes, quid per alios fieri debeat; sicut Architectores in ædificiis nihil manu operantur, sed solum disponunt, & præcipiunt quid alii debeant operari. Unde neganda est secunda Conseq.

ARTICULUS III.

De custodia bonorum Angelorum, & impugnatione malorum.

Per varias quæstionculas.

D. Thom. QQ. 113. & 114.

Petes 1. Utrum homines ab Angelis custodiantur. (Q. 113. art. 1. o.) R. affirmativè. Est de fide in multis Scripturæ locis expressa. Ps. 90. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Genes. 32. & 48. Matth. 28. Luc. 2. Act. 22. & alibi.

Ratione (Ibid.) suadetur. 1. Hoc habet in omnibus rebus ordo divine Providentiæ, ut mobilia & variabilia per immobilia & invariabilia moveantur & regulentur: patet in omnibus corporalibus, quæ moventur, & regulantur per substantias spirituales & immobiles, & in corporibus inferioribus, quæ per corpora superiora immobilia quoad substantiam moventur; atqui Angeli sunt magis immobiles, & invariabiles, quam homines, qui quantum ad animam & corpus, & quantum ad cogitationes, & affectus continuo mutantur, ut experientia patet: ergo.

2. Homo (Ibid. art. 4. o.) in statu hujus vite constitutus est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam, in qua via multa pericula homini imminunt tum ab interiori, tum ab exteriori: ergo, sicut hominibus per viam non tutam ambulantiibus dantur custodes, ita & custodiet homini, quandiu viator est, custos Angelus deputatur. Quando autem jam ad terminum vite pervenerit, tunc non habebit Angelum custodem, sed habebit in regno Angelum conregnantem, in inferno demonem punientem.

Hinc (Ibid.) inferes, omnes omnino homines viatores, sive justos, sive peccatores, sive fideles, sive infideles, etiam in statu nature tam puræ, quam integræ, solo Christo excepto, habuisse, & habere Angelos custodes, quia rationes militant pro omnibus, & pro omni statu vite. (Ibid. ad 2.) Quamvis enim in statu nature integræ non esset periculum ab interiori, erat tamen ab exteriori propter insidias demonum, ut rei robavit evenire. In statu autem nature puræ indignisset homo, ut moveretur ad finem connaturalem, & inclinaretur ad virtutum officia. (Ibid. ad 2.) Reprobi autem, etiam ipse Antichristus, sicut non privantur interiori auxilio naturalis rationis; ita etiam non privantur exteriori auxilio totius nature humanæ divinis concessio, scilicet custodia Angelorum, per quam etsi non juvantur quantum ad hoc, quod vitæ æternam bonis operibus mereantur, juvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & sibi ipsis & aliis nocere possunt. Nam & ipsi demones arcentur per bonos Angelos, ne nocent quantum volunt, & similiter Antichristus non tantum nocet, quantum vellet.

Excepi (Ibid. ad 1.) Christum; quia Christus secundum quod homo immediate regulabatur a Verbo Dei, unde non indigebat custodia Angelorum. Quidam excipiunt etiam B. Virginem; sed, cum non esset omnipotens, nec beata, licet confirmata in gratia, non videtur ratio denegandi ipsi custodem ex Angelis præstantissimum, qui & eam sua præsentie recrearet, & juvaret ministerio.

Petes 2. (Ibid. ad 2. & 5. o.) Utrum plures homines ab uno Angelo, an singuli homines a singulis Angelis custodiantur? R. singulos homines a singulis Angelis custodiri a nativitate. Prima pars colligitur ex Act. 12. Cum puella nuntiabat Petrum ad ostium stare, fideles non credentes esse Petrum, dixerunt: Angelus ejus est. Unde Hieron. in c. 18. Matth. ait: Magna est dignitas animarum, ut iniquaque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.

Ratione (Ibid. art. 2.) suadetur. Divina providentia, cujus custodia Angelorum est quædam executio circa homines, principaliter versatur circa illa, quæ perpetuo manent; circa verò ea, quæ transeunt, versatur in quantum ipsa ordinat ad res perpetuas; atqui homines non sunt solum incorruptibiles quantum ad communem speciem ut alie creaturæ, sed etiam quantum ad proprias formas singulorum, quæ sunt animæ rationales: ergo providentia Dei comparatur ad singulos homines, sicut comparatur ad singula genera, vel species corruptibilium. Subsumo; atqui probabile est, quod diversi speciebus rerum diversi Angeli præficiantur: ergo etiam rationale est, ut diversi hominibus diversi Angeli ad custodiam deputentur.

2. Pars (Ibid. art. 5.) est contra quosdam antiquos, qui dicebant tantum dari Angelum custodem post baptismum. Et 1. eam discretè asserit Hieron. cit. 2. Prob. ratione. Beneficia, quæ a Deo providentur homini in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; atqui tale beneficium est custodia Angelorum: ergo. (Ibid. ad 2.) Neque obstat, quod pueri non sint capaces doctrinæ, qui est unus ex præcipuis effectibus custodiæ; multos namque alios effectus habet, qui pueris competunt, ut accere demones, & alia nocumenta tam corporalia, quam spiritualia prohibere.

Sed quid de puero adhuc in utero materno? R. quod, (Ibid. ad 3.) cum tunc nondum sit totaliter separatus a matre, sed per quamdam colligationem sit adhuc quodammodo pars ejus, sicut fructus pendens ex arbore est aliquid arboris, probabile est, quod Angelus, qui custos est matris, custodiat etiam prolem in ejus utero existentem.

Præter (In 2. d. 11. q. 1. art. 2. ad 4.) Angelos Custodes singulis hominibus privatis a nativitate deputatos, Patres & Theologi communiter agnoscunt insuper speciales Pontificibus, Regibus, & aliis personis publicis, & superioribus deputari, qui eos dirigant in illis, quæ spectant regimen multitudinis sibi commissæ. Item & speciale deputari cuilibet Nationi, Regno, Provinciæ, Civitati, Diocesi, Ordini Religioso, Communitati, Collegio, Sodalitati, &c. (Coll. ex 3. p. q. 83. art. 4. ad 9.) Valde etiam probabile est, cuilibet Sacerdoti celebranti adesse Angelum specialiter deputatum, qui ipsum in tanti Mysterii celebratione juvet, ejusque preces & hostias Deo offerat. Colligitur ex verbis illis Canonis Missæ: Jube hæc perferrè per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c.

Petes 3. Quæ sint officia Angelorum Custodum erga nos? R. 1. Illuminant intellectum, non infundendo species, sed aptando veritates ad captum nostrum, vel sub sensibilibus similitudinibus representando, sicutque instruunt & docent, atque bonas cogitationes suggerunt, voluntatem etiam excitant ad bonum suadendo, hortando, &c. Boni occasiones subministrant, mali occasiones amovent. Ita habetur Gen. 16. & 18. Exod. 23. Judith 13. Tob. 6. 11. 12. Act. 5. & alibi. 2. Preces nostras & vota Deo offerunt Tob. 3. & 12. Apoc. 8. Non ut Deus ea cognoscat, sed ut ipsi suas preces nostris precibus jungant. 3. Damna externa avertunt, juvant in periculis, in bello, præsertim in morte, fugant morbos, pestilentias &c. Genes. 48. 4. Reg. 6. 19. Tob. 6. & alibi. 4. Arcem & coercent demones, ne nocent, vel ne tantum nocent, quantum vellet, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, Tob. 6. & 8. Et cum tot ea tanta beneficia ab Angelis Custodibus continuo recipiamus, eo usque ingrati sumus, ut tam insignium benefactorum, quos speciali cultu & honore prosequi deceret, vix memoriam recolamus.

Petes 4. Utrum Angeli Custodes quandoque suos clientes deserant? (Ibid. art. 6. o.) R. Quod nunquam totaliter eos deserant, sed aliquando ex parte, & secundum quid. Ratio est; quia custodia Angeli, ut diximus, est quædam executio divine Providentiæ circa homines generaliter facta; atqui nec homo, nec res aliqua totaliter divine Providentiæ subtrahitur: ergo. Aliquando tamen Angelus dimittit suum clientem secundum quid, prout scilicet non impedit, quin vel subdat alicui tribulationi, vel cadat in peccatum secundum ordinem divinorum judiciorum. Et secundum hoc Babylon, & Domus Israël dicuntur in Scripturis derelictæ ab Angelis.

Petes 5. Utrum Angeli doleant de malis nostris? (Ibid. art. 7. o.) negativè; quia dolor est de his, quæ sunt contra voluntatem. Cum autem Angeli habeant suam voluntatem in omnibus divine voluntati conformem, nihil accidere potest contra eorum voluntatem. Equidem non volunt peccata, & mala hominum secundum se; approbant tamen voluntatem Dei ea permittentis & vindicantis.


Petes 6. Ex quo ordine sint Angeli Custodes? R. Angeli (Ibid. art. 3. o.) Custodes privataram personarum sunt ex infimo ordine; quia nutiare minima pertinent ad Angelos infimi ordinis; procurare autem, quæ spectant salutem unius personæ private, videtur quid minimum in officiis Angelorum. Angeli verò Custodes multitudinis, aut eorum qui præsumunt multitudini, sunt ex aliis superioribus ordinibus, quia quan-

quantò agens est universalis, tantò est superius. Sic igitur custodia humanæ multitudinis pertinet ad Principatus, vel fortè ad Archangelos, qui dicuntur Principes Angelorum. Ulterius secundum Greg. hom. 34. in Evang. super omnes naturas corporeas custodiam habent Virtutes, super demones habent Potestates, super bonos spiritus habent Principatus, vel Dominaciones.

Petes 7. Utrum demones impugnent, & tentent homines? (Q. 114. art. 1. & 2. o.) R. affirmativè; tum propter invidiam, per quam impedire nituntur profectum hominum; tum propter superbiam, per quam divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem; & excidium, sicut Deus deputat Angelos determinatos ad hominum salutem. Idque patet ex Gen. 3. Ephes. 6. 1. ad Tim. 2. 1. Petri 5. & quotidiana atque infelici experientia.


Petes 8. Utrum sit cuique suus malus Angelus ad exerci-

tium, sicut cuique est bonus ad custodiam? R. Plures ita sentire post Originem hom. 12. in Luc. Greg. Nyss. Tract. de vita Moysis, Cassianum collat. 8. c. 17. & S. Thom. in 2. d. 11. art. 5. o. Alii negant: 1. Quia habet opinio nullum habet fundamentum neque in Scriptura; neque in traditione, sed potius videtur ortum habere ex superstitione Gentilium, qui duos genios cuilibet homini assignebant. 2. Quia sunt plures homines incapaces exercitii ad virtutem, ut sunt pueri, amenes. 3. Quia non est ve isimile Deum permittere, quod demones continuo insidentur hominibus, qui jam aliunde sunt admodum infirmi. Ad eos, qui referuntur contrarium tenuisse, respondent, Originem multis aliis erroribus scaterere, Gregorio Nysseno alios Patres non assentiri, opera Cassiani declarata esse apocrypha a Gelasio Papa; S. Thomam verò hanc quidem opinionem referre, sed non eam approbare.



TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM.

D. Th. 1. p. a Quæst. 44. ad 48. & a Quæst. 67. ad 103.



DISSERTATIO I.

DE PROCESSIONE CREATURARUM A DEO.

D. Thom. 1. Part. Quæst. 44. 45. 46.

ARTICULUS I.

Utrum omnè ens sit effectivè a Deo? Ubi de Cartesianismo.

Notistic teste S. Epiphania heresi 25. & 26. negarunt mundum esse a Deo conditum. Manichæi ex eodem Epiphania heresi 22. & sequent. & ex Aug. heres. 46. duos adstruebant Deos a se independentes, unum bonum, qui esset Auctor novi Testamenti, lucis, rerum spiritualium; & incorruptibilium; alterum malum, qui esset Auctor veteris Testamenti, tenebrarum, & rerum visibilium corruptibilium. Plato, & Hermianus apud Terull. l. de præscript. c. 33. Seleuciæ, & Hermiani apud Aug. heresi 39. dixerunt, materiam non fuisse à Deo productam, sed ipsi coæternam, ex qua mundum visibilem produxerunt.

Dico. (Q. 43. art. 1. o.) Omne ens aliud a Deo, quod est quodeunque, est effectivè causatum a Deo: Est de fide, qua credimus in Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano in Deum factorem cæli, & terre, visibilium omnium, & invisibilium. Et c. Firmiter de summa Trin. Ecclesia in Conc. Lateran. 1. constituitur, Deum unum, Patrem, et Filium, et Spiritum S. esse unum universorum principium, Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium. Unde Concil. Bracarense I. Can. 13. sic definit: Si quis dixerit creationem universæ carnis non opificiùm esse Dei, sed malorum Angelorum, sicut Manichæus, et Priscillianus dixerunt; anathema sit. Atque id aperte exprimit Scriptura Gen. 1. In principio creavit Deus cælum, et terram: ubi sub cælo omnia cælestia, & sub terra omnia inferiora continentur; unde Exod. 20. Sex diebus fecit Dominus cælum, et terram, et omnia, quæ in eis sunt. Isai. 44. ergo Dominus faciens omnia, extendens cælum solus, stabiliens terram. Psalm. 145. Qui fecit cælum, et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt. Joann. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Rom. 11. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Act. 17. Deus, qui fecit mundum, et omnia, quæ in eo sunt.

Suadetur ratione. (Ibid.) Omne, quod quomodocumque est, continetur virtualiter, & eminentè in Deo: ergo omne, quod quomodocumque est, est a Deo participatum, & causatum: Patet consequentia; quia, si esset aliquod ens, quod non esset a Deo causatum, illud non contineretur virtualiter, & eminentè in Deo. Prob. Ant. Deus sic est ens per essentiam, ut complectatur omnem rationem entis secundum totam ejus latitudinem, & extensionem; id enim important rationes actus puri, entis infiniti, & infinitè perfecti, quæ competunt Deo: ergo omne quod quomodocumque est, continetur virtualiter, & eminentè in Deo, aliis Deus non contineret omnem plenitudinem entis. Theol. Billuart. Pars Prima.

Dices: Essentiæ rerum sunt æternæ, & non dependent a Deo; sic ab æterno; & independentè a Deo homo est animal rationale: ergo.

R. D. Ant. Essentiæ rerum sunt æternæ, & non dependent a Deo quoad connexionem prædicari, & subjecti, O. Quoad esse actuale, N. Id enim habet a Deo in tempore.

Hinc inferes 1. (Ibid. art. 2. o.) materiam, circè quam maxime erraverunt antiqui Philosophi, ut exponit Auctor hic art. 2. esse etiam a Deo productam; quia, cum Deus, ut dictum est, sit causa entis in quantum ens, est causa omnium, quæ pertinent ad rationem entis: materia autem pertinet ad rationem entis corporei: quamvis enim secundum se non sit ens actu, sed tantum per formam, sine qua non produciatur, ex ea tamen, & forma fit ens actu; & idè proprie loquendo materia non creatur, sed concreatur. Inferes 2. Hypothesim Cartesiani, quam ut Thesim hodiè propugnant quidam ejus Discipuli, speret pugnare cum Scriptura, & ratione.

Hæc est autem hypothesis, seu Thesis. Supponit 1. Cartesianus, materiam esse à Deo creatam ex natura sua homogeneam, seu ejusdem rationis. 2. Essentiam ejus consistere in trina extensione longi, lati, & profundi, sicutque materiam, corpus; extensionem, spatium esse synonyma. Undè 3. materiam nullos habere finis suæ extensionis; quia, quidquid, & ubicumque concipitur, concipitur ut quid extensum, & non potest aliter concipi. Undè 4. vacuum etiam divinitus esse impossibile: quia omne spatium imaginabile trina extensione constat, adeoque materia & corpore, quæ idem sunt. Hinc 5. mundum hunc esse infinitum, seu; ut dicit absurditatem declinare vultes, indefinitum. Indè 6. plures mundos esse impossibiles; neque minquam materiam portionem posse de novo creati, quia omnia spacia imaginaria sunt repleta, & duo corpora non possunt esse in eodem loco, aliis forent duo, ut supponitur; & non duo, quia eandem haberent extensionem, quæ non distinguitur a corpore. Et; omissis pluribus aliis ejusdem rationis fictionibus, 7. supponit Deum divisisse materiam in partes æquales, non quidem sphericas, ne daretur vacuum, sed angulares, pira cubicas; ut contactu quaque parte immediato omne vacuum excluderent. 8. Supponit illis materiam fragmitibus duos motus a Deo impressos unum cuique particule circè propriam centrum, alterum pluribus communem circè centrum commune, quo duplici motu a Deo materia impresso contendit mundum hunc, structuram, dispositionem, varietatem, atque ornamentis adeo mirabilem; nihil Deo ulterius agente, facilissimè potuisset constitui.

Primo itaque motu, inquit, cujuslibet particule circè proprium centrum ancones, & ramenta particularum effracta sunt, R.